

**L**ocútus est Móyses pópulo dicens:

- <sup>2</sup> «**T**ime Dóminum Deum tuum  
et custódi ómnia præcépta et mandáta eius,  
quæ ego præcípio tibi et filiis ac nepótibus tuis,  
cunctis diébus vitæ tuæ, ut prolongéntur dies tui.
- <sup>3</sup> Audi, Israel, et obsérva,  
ut fácias, et bene sit tibi,  
et multiplicéris ámplius,  
sicut pollícitus est Dóminus, Deus patrum tuórum, tibi  
terram lacte et melle manántem.
- <sup>4</sup> Audi, Israel:  
Dóminus Deus noster Dóminus unus est.
- <sup>5</sup> Díliges Dóminum Deum tuum  
ex toto corde tuo et ex tota ánima tua  
et ex tota fortitúdine tua.
- <sup>6</sup> Erúntque verba hæc, quæ ego præcípio tibi hódie,  
in corde tuo».

Verbum Dómini.